TRES ESSE MUSICAS · IN QUO DE UI MUSICAE NARRATUR

Principio igitur de musica disserendi illud interim dicendum uidetur quot musicae genera ab eius
studiosis comprehensa ee̅ nouerimus; Sunt autem · tria · Et prima quidem mundana · Secunda
uero humana · Tertia quae in quibusdam constituta instrumentis · ut in cythara uel tibiis
ceterisq; quae cantilenae famulantur; Et primum ea quae mundana · in his maxime perspiciendae ·
quae in ipso caelo · uel compage elementorum · uel temporum uarietate uisuntur · Qui enim fieri
potest ut tam uelox caeli machina · tacito silentiq; cursu moueatur · Etsi ad nostras aures sonus
ille non peruenit · quod multis fieri de causis necesse e̅ · non poterit tamen motus tam uelocissimus ·
ita magnorum corporum nullos omnino sonos ciere · Cum praesertim tanta sint stellarum
cursus coaptatione coniuncti · ut nihil aeque compaginatum · nihil ita commixtum possit in
tellegi; Namque alii excelsiores · alii inferiores feruntur; atque ita omnes aequali incitati
one uoluuntur · ut per dispares inaequalitates ratus cursuum ordo ducatur; Unde non potest ab hac
caelesti uertigine · ratus ordo modulationis absistere; Iam uero quattuor elementorum diuer
sitates · contrariasq; potentias · nisi quaedam armonia coniungeret · qui fieri posset · ut in unum
corpus ac machinam conuenirent · Sed haec omnis diuersitas · ita et temporum uarietatem parit
et fructuum · ut tamen unum anni corpus efficiat; Unde si quid horum quae tantam uarietatem
rebus ministrant · animo et cogitatione decerpas · cuncta pereant · necesse est et ut ita dicam quicquam consonum
seruent; Et sicut in grauibus cordis is uocis est modus · ut non ad taciturnitatem grauitas usq; descendat ·
atq; in acutis ille custoditur acuminis modus · Ne nimium tensi uocis tenuitate rumpantur ·
Sed totum sibi sit consentaneum atq; conueniens · ita etiam in mundi musica peruidemus nihil
ita ee̅ nimium posse · ut alterum propria nimietate dissoluat; Uerum quicquid illud est
aut suos affert fructus · aut aliis auxiliatur ut afferant; Nam quod constringit hiemps · uer
laxat · torret aestas · maturat autumnus; Tempora quae uicissim · uel ipsa suos afferunt
fructus · uel aliis ut afferant subministrant · De quibus posterius studiosius disputandum est;
Humanam uero musicam · quisquis in sese ipsum descendit intellegit; Quid e̅ enim quod illam
incorpoream rationis uiuacitatem · corpori misceat · nisi quaedam coaptatio · et ueluti grauium
leuiumq; uocum · quasi unam consonantiam efficiens temperatio · quid e̅ autem aliud quod ipsius
inter se partes animae coniungat · quae ut Aristoteli placet · ex rationabili inrationabiliq; coniuncta est · [illegible]
Quid uero · quod corporis elementa permisceat · aut partes sibimet rata coaptatione
contineat · Sed de hac quoque posterius dicam; Tertia est musica · quae in quibus dam
consistere dicitur instrumentis; Haec uero administratur aut intentione ut neruis [illegible]